

lapillos in littore &c. porrigitur *l. quod in littore 14. ff. de acq. rer. dom.* Strictius sumpta circa animalium apprehensionem, nominatim circa venationem, aucupium, piscationem occupatur *l. 1. §. ult. d. a. 2. d. §. fere igitur 12. ibi: capta, it: ibi: capiat Inst. de rer. divis. vel circa hostium, rerumque quæ illorum sunt, capturam §. it: ea quæ ex hostibus 17. Inst. de rer. divis. l. naturalem 5. §. ult. l. transfugam 51. §. 1. ff. d. a. 2. d. l. si quod bello 28. junct. l. 21. ff. de capt. & postlim. reversis. Sic Cyrus Persarum Rex apud Xenophontem lib. 7. ait: *ὅταν πόλις αὐτῶν ἐλίντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ ζῷα.**

XVIII.

Traditio est translatio possessionis. (a) In quâ ex parte tradentis (b) ex parte accipientis (c) & intuitu ipsius rei (d) certa quædam occurrunt requisita. Estq; vel vera vel quasi seu ficta. (a)

(a) *arg. l. 3. pr. ff. de act. empt.* Dicunt alii esse de manu in manum dationem, quæ descriptio vel ideò incommoda est, quod in locato, deposito, commodato, res de manu in manum transferatur, nec tamen sit traditio. *Zoes. de acq. rer. dom. num. 82.*

(b) Ex parte tradentis requiritur, facultas, quam habent rerum domini, utpote quibus tantum est arbitrium super re sua pro lubitu disponendi. Tutorum & Curatorum, qui loco dominorum sunt, restrictior est potestas, cum nec mobiles res pretiosiores alienare possint *l. 22. C. de administ. tutor.* Procuratoris ex mandato domini facta traditio effectum suum consequitur *l. quâ ratione 9. §. nihil autem 4. de acq. rer. dom.*

(c) Ex parte accipientis æquè ut in tradente requirimus voluntatem, cum æquum non sit, ut liber homo cogatur aliquid facere, aut admittere in se invitus in actibus iis, in quibus utriusq; consensum intervenire oportet, *Zoes. ad ff. d. a. 2.*